

Am. 17.

20
23
PHYSICAE
CVM MEDICINA NEXVM,

CVM

V I R O

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

DN. MICHAELI
ALBERTI,

HACTENVUS MEDICINAE DOCTORI ET PROFES-
SORI PVBLICO EXTRAORD. REIPVBL. NORIBERGENSIS
PHYSICO ORDINARIO, ACADEMIAE NATVRAE CV-
RIOSORVM COLLEGAE CELEBERRIMO,

PRÆCEPTORI ETATEM COLENDO,

PROFESSIO PVBLICA
MEDICINÆ ORDINARIA
ET PHYSICAE EXTRAORD.

ANNO MDCCXVI. NONIS FEBRVARII

DEFERRETVR,

SISTERE, ET OFFICIOSE SIMVL GRATVLARI VOLVIT

JOHANNES ZACHARIAS PLATNER,

Medic. Stud.

HALAE MAGDEB. Literis ORBANIANIS.

50

PHYSICAE
CVM MEDICINA NEXVM

V I R O

EXCELL. ENTISSIMO EXPERIENTISSIMO,
AMPLISSIMO DOCTISSIMO,

DN MICHAELI

ALBERTI

HAUTEMVS MEDICINAE DOCTO ET HOIES
SOLLICITVS ET TRIO NOSTRO NORBERGENSIS
THEO OPHTHALMO ET DEPTORVM VAS CV
HOSVAM COLLEGIUM CALISIANO
PRACTICVM ET VM CONANDO

PROFESSIO PVBLICA
MEDICINAE CLINICARIA

ET PHYSICAE EXTERNAE

ANNO MDCCCLXXV
DIE XXIV

PETRO ET ORATIONE SIMUL GRATVARI VOYIT
JOHANNES ZACHARIAS PLATNER

Medic. Sind.

HABAE MAGDER. LIBRIS ORGANIANIS



VIR EXCELLENTISSIME,



Philosophiam omnium scientiarum parentem esse, & huius ipsius historia, et academiarum, præprimis Parisiensis, (a) origo satis superque testantur; etsi postea à reliquarum facultatum, ex ea emergentium, doctoribus à materna hac dignitate deposita, & pro ancilla fuerit declarata. Tolle tamen non potuit indissolubilis ille nexus, quem omni tempore cum altioribus disciplinis seruauit, quas ipsas constanter pro philosophiæ conditione alteratas, et vel emendatas, vel nouis præiudiciis inquinatas, obseruamus. Falcem in alienam messem mitterem, si quantum theologia, quæ alios adhuc sanctissimos fontes agnoscit, vel Jurisprudentia ex hac scaturigine hauserit, & hucusque seruauerit, indagare auderem. Medicina certe, quo in serie philosophiæ propior, eo arctiorem semper cum ea coluit amicitiam, et illius luculentissima seruauit vestigia. Si enim primam istam, à Gassendo et Cartesio sic appellatam philosophiam, ontologiam nimirum respiciamus, hæc famosissimam illam methodum per causarum genera supeditauit, etsi hæc, præprimis male applicata, plus tenebrarum quam lucis medicinæ affudisse videatur, cum præter causam efficientem reliqui respectus vix

() 2

causa-

(a) Vid. præter Bulxum, Pasquier Recherches de la France L. IX. Cap. X.

causarum nomine veniant insigniendi. Alias tamen, et longe digniores adhuc pro medicina considerationes involuit sana ontologia, realem differentiam materiæ et motus, hujusque principii, eorumque proprietates veras atque essentielles exponens, et studiose a fictitiis, vel prout communiter dicuntur, imaginariis, secernens. Exempli loco inseruire posset diuisibilitas materiæ in infinitum, quæ sine dubio ex incongruo extensionis conceptu, hujusque cum compositionis idea confusione, et sic errore ontologico fluxit; prout hæc res iam ab Illustri Stahlio (b) et quibusdam aliis, (c) clarius fuit deducta. Ne vero nimis ab instituto recedamus, logica se nobis offert, quam tamen non sub antiquo illo habitu, multis verborum ampullis, et ex Darapti, Felapton paratis flosculis, exornatam intelligimus; sed eam quæ rationali veritatis indagatiõni potius, quam semel receptorum opinionum speciosæ propositioni, et litigiosæ defensionis inseruit. Hanc solidam rationis exercitationem tam necessariam medico iudicat Celeberrimus Stahlius, (d) quanta detrimenta ex hujus neglectu et corruptela in medicinam sectariam irrepsisse demonstrat. (e) Maxima enim pars artis medicæ nititur doctrina probabilitatis, quæ hætenus quidem in logica vel plane ignota, vel neglecta, nunc vero feliciter ipsi reddita fuit. Juxta hanc enim ex pluribus phænomenis, sibi inuicem respondentibus, ad abstrusas et reconditas horum causas concludimus; prout etiam pro tollendis incommodis morbidis, remedia, in pari affectu multiplici salutari eventu

(b) Stahlius in Discursu de fermentatione Cap. V.

(c) Præter Doctores quosdam Cabbalisticos magnitudinem a compositione discernunt Joh. Rhaphson in Epistolis Demonstrationi de Deo annexis, Morini in Astrologia Gallica L. IV. Cap. I, pag. 104. nec non Anonymus le Guerrier Philosophe Cap. III. & IV.

(d) In Dissert. de Fundamentis Theoriæ Medicæ pag. 9.

(e) In Programmate de Logica Medica.

eventu comprobata, conquirimus; ut adeo huc et ratio, et experientia medica commode referri queat. Facilis esset transitus a logica ad doctrinam moralem, et huius cum medicina consortium, quod vel sola temperamentorum historia evincere posset, nisi idem, VIR EXCELLENTISSIME, iam iam in peculiari elegantissima disertatione de *Medicina et doctrinae moralis nexu*, quo et illa referenda, quæ de *Therapia morborum morali* agit, persecutus esses, ut merito post hanc largissimam messem nil nisi sterile sperandum sit spicilegium. Filia igitur nos ducat ad matrem, philosophiam scilicet naturalem sive physicam, cui doctrina moralis natales et fundamenta sua debet. Hic vero pro inani labore haberi posset, huius cum medicina nexum probare velle, cum res videatur ab omnibus concessa, et constanti traditione firmata. Verum hoc ipsum nondum tam confessâ veritate radiare, et TVA, VIR EXCELLENTISSIME, præcepta, et scripta Illustriis Stahlii, me docuerunt. Et dolendum sane est, si detrimenta consideramus, quæ physica peripatetica, à nostris sæculis paulo remotior, et proxime Cartesiano - Mechanica, cum annexa Willisiana fermentatoria theoria, in Medicinam induxerunt, ut huius antiquam faciem, quæ in vetustioribus scriptoribus, præsertim Hippocrate, sine omni fuce apparet, vix dignoscere queamus. Culpa tamen horum incommodorum, nunquam reparandorum, in veram physicam vel ideo non transferenda esse videtur, quod non ex hac, sed ex falsa & supposititia, promanauerint. Illa enim physica, quæ hætenus omnibus imposuit, quam parum hunc titulum mereatur, a Viris Celeberrimis hinc inde in lucem fuit positum. Et ipsa hæc philosophia, de sua infirmitate certior esse posset, si scrupulosa & laboriosa illa tentamina, horumque infelicem successum respiceret,

X 3

qui-

quibus in deducendis corporum primis qualitatibus, ex diuersa particularum materialium figura & pondere, haftenus desudauit: quos apparatus natura eo magis abhorret, quo longius eiusmodi artificia ab illius simplicitate recedunt. Naturæ enim essentia in actiuitate consistit, vt adeo nemo philosophiam naturalem callere sibi persuadeat, nisi distinctum de hac formauerit conceptum. Equidem physica, quam Cartesius sibi & suis formauit, multa de motu vbique crepat, huiusque leges anxie satis perquirat: has vero quandoque falsissimas esse, & ordini naturæ plane contrarias, facili quidem, sed longæ nimis foret demonstrationis. Hoc monuisse sufficiat, has leges, vel ideo pro minus adæquatis habendas esse, quod nil nisi motum mechanicum, ex corpore in corpus transeuntem, persequantur, motum verum physicum siue vitalem, illo longe præstantiorem, qui immediate ab ente actiuo materiæ communicatur, alto silentio involuant, ut solennem istam confusionem motus, vt accidentis, & vt principii substantialis considerati, haud attingam. Craffissimi tamen errores sese manifestant, in applicatione horum dogmatum ad corpora, veteribus animata dicta, & ipsum denique hominem. Resultauit enim ex iis illa automatica philosophia, quæ cum spiritus & corporis nexum, propter præconceptas, vt videtur, opiniones metaphysicas, comprehendere non posset, tot machinas effinxit, quot plantas, quot animalia, quot homines vidit, & sic ansam dedit isti mechanicæ anthropologiæ, huicque innixæ pathologiæ falsæ, & methodo medendi, quæ de sola materiarum correctione est sollicita. Non potuerunt igitur non hi philosophi tandem a cognitione principii istius, quod rationabili actiuitate & conseruatione corporis sese manifestat, seduci: qui quam parum etiam finem veræ physicae

cæ, qui post honorem Summi Creatoris, potissimum vtilitatem & commoditatem generis humani respicit, obtinuerint, res ipsa loquitur. Hoc sane manebit, quod eiusmodi farragini artificiosè excogitarum possibilitatum, titulus physicæ nullo iure competat; & quod hæc deuia quilibet veritatis & sapientiæ, præ reliquis vero artis medicæ studiosus, studiose euitare debeat. Nihil tamen ex eo sinceræ philosophiæ naturali decedet, quæ eundem potius nexum cum theoria medica seruabit, qualem nunc felici successu, hanc & veram praxin intercedere videmus. Eam intelligo physicam, quæ non solum corpora, vt mixta materialia, sed etiam prout actiuitate sua gaudent, considerat: quæ motus physicos & vitales sedulo a mechanicis separat, & differentiam organismi & mechanismi distincte ante oculos ponit: quæ præterea maximam curam de corporibus sic dictis animatis, horumque proprietatibus, agit, eorumque principium, per motus vitales in corpore organico sese manifestans, cognoscere studet; qualitates vero elementares corporum mixtorum, iuxta simplices potius effectus, quam artificiosas figuras, dimittitur. Talem fuisse physicam, qualem Hippocrates medico commendauit, veritati ex eo videtur consonum, quod hæc facillimam viam ad physiologiam medicam sternat, vel hanc plane inuoluat; quam deinde & sanior pathologia, & huic consona therapia, excipit, quibus ars medica præprimis a doctrina naturali distinguitur. Animus haud est nunc descendere ad anatomiam, chymiam, botanicam, & alia studiorum genera, etsi medicinæ haud essentialia, eam tamen non parum adiuuantia, quæ maiori adhuc iure physica sibi vindicare potest. Quid enim multa? Veram physicam cum vera medicina consistere posse, nouo & luculentissimo exemplo, VIR EXCELLENTISSIME, comprobare potes. Felici enim omine factum est, vt a SACRA REGIA MAIESTATE BORVSSIAE &c. &c. eodem tempore munus & medicinam & physicam in hac FRIDERICIANA profitendi,
TIBI

TIBI fuerit demandatum: cui duplici officio TE, VIR DO-
 CTISSIME, nemo melius satisfacere potuisset. Nemo enim
 accuratius cancellos philosophiæ, præsertim naturalis, & me-
 dicinæ, cognoscit: cum hisce studiis vnice delecteris ac deti-
 nearis. Nolo nunc ea proferre, quæ ipsa veritas exigere,
 TVA vero modestia recusare, videtur: alias latissimus pateret
 campus, in TVA de orbe literario, & præprimis de vniuersa
 medicina, nec non de hac Academia, merita excurren-
 di. Nolo etiam exponere, quanta TIBI, PRÆCEP-
 TOR ÆTERNUM COLENDE obligatione obstrictus, præ
 reliquis hæream, cum omnis in arte medica, quam leuis hæc
 sit, cognitionis fructum, iure TVO a me repetere queas. De
 eo saltem gaudeo, quod & medicina & physica in TE nouum Anti-
 tistitem inuenerint, qui harum hæctenus diuersissimarum disciplina-
 rum nexui feliciter prospiciet. Gratulor igitur TIBI, VIR EXCEL-
 LENTISSIME, de noua hac sparta, quæ eo acceptior TIBI existit,
 quo melius huic ipsi satisfacere potes. Sed non tam TIBI, quam omni-
 bus iis, gratulor, quibus genuina physica, & præprimis vera & re-
 staurata medicina, qualis Stahlianæ est, curæ cordique existit, cum
 hæc in TE tam felicem interpretem nacta sit, quo ne animo melio-
 rem fingere liceret. mihi vero in posterum quam maxime gratulabor,
 si semper TIBI, PRÆCEPTOR HONORATISSIME, de perpetuæ pro-
 speritatis continuatione, huiusque quotidiano augmento gratulandi
 occurreret occasio. Quem rerum secundarum vsum, vt Numen Beni-
 gnissimum non solum TVÆ Honoratissimæ Personæ, sed & toti Præ-
 nobilissimæ Familix, benignissime concedat, ex animo precor. In-
 terea hoc semper mihi & maximo honori, & exoptatissimæ voluptati,
 ducam, si de eodem fauore, quem hæctenus varia occasione erga me
 declarasti & in posterum certus esse poterò, cui me, meaque studia,
 ea, qua par est, obseruantia, committo, & iterum iterumque com-
 mendo: interea vero ad extremum usque halitum persevero

VIR EXCELLENTISSIME,

Nominis. TVI

additissimus cultor,
 & obstrictissimus auditor

I. Z. PLATNER

22a 6069

ULB Halle 3
001 522 167



Sb,


Liber
Bibliothecae Academicae Halensis
a
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,
Med. Doct. & Practico
Berolinensi,
TESTAMENTO DONATUS.
1729.

V077


Handwritten blue ink scribbles







20
23

PHYSICAE
CVM MEDICINA NEXVM,

CVM

V I R O

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

DN. MICHAELI
ALBERTI,

HACTENVS MEDICINAE DOCTORI ET PROFES-
SORI PVBLICO EXTRAORD. REIPVBL. NORIBERGENSIS
PHYSICO ORDINARIO, ACADEMIAE NATVRAE CV-
RIOSORVM COLLEGAE CELEBERRIMO,

PRÆCEPTORI ÆTATEM COLENDO,

PROFESSIO PVBLICA
MEDICINÆ ORDINARIA
ET PHYSICAE EXTRAORD.

ANNO MDCCXVI. NONIS FEBRVARII

DEFERRETVR,

SISTERE, ET OFFICIOSE SIMVL GRATVLARI VOLVIT

JOHANNES ZACHARIAS PLATNER,
Medic. Stud.

HALAE MAGDEB. Literis ORBANIANIS.